

nomine ipsius monasterii cum D. Arnaldo canonico, & sindaco Ecclesiæ Aquensis nomine ipsius Ecclesiæ, quod prædictum monasterium est circumdatum habitationibus hominum undique. Ad quod respondet, quod concedit, quod quædam habitacula sunt circa ipsum monasterium.

Item ponit, quod illa habitacula sunt ibi quadraginta annis, & plus (2). Ad quod respondet, quod non concedit de quadraginta, nec de triginta, sed de viginti concedit.

Item ponit, quod prædictum monasterium sit situm in suburbio illius civitatis. Ad quod respondet, quod concedit.

Item ponit, quod suburbium illud est ita antiquum, quod memoria hominum non extat (3). Ad quod respondet, quod suburbium illud, quod adjacet illi monasterio ad Septentrionem, & a mane in parte ita antiquum sit: a meridie, & a sero, & a mane in parte non concedit esse ita antiquum.

Item ponit, quod suburbium illud est juxta civitatem. Ad quod respondet, quod concedit fluvius interjacens.

Item ponit, quod in Ecclesia S. Petri fuerunt canonici seculares, & non monaci. Ad quod respondet, quod non concedit a ducentis annis infra, sed a ducentis viginti annis infra concedit.

Item ponit, quod monasterium illud habet parochiam in suburbio. Ad quod respondet, quod non concedit.

Item ponit, quod parochia suburbii pertinet ad prædictum monasterium. Istæ duæ positiones retinentur in suspenso.

Item ponit, quod quidam Dudo fuit quondam Episcopus Aquensis. Ad quod respondet, bene concedit.

Item ponit, quod ipse Episcopus jacet ad prædictum monasterium. Ad quod respondet, quod concedit.

Item ponit, quod Capellanus monasterii instituitur in ipsum monasterium per Abbates, & Monachos illius monasterii. Ad quod respondet, quod non concedit.

Item ponit, quod in Ecclesia majori sunt plures fontes. Ad quod respondet, quod bene concedit.

Item ponit, quod in majoribus fontibus baptizatur in solemni baptismo scilicet resurrectionis. Ad quod respondet bene concedit.

Item ponit, quod minores fontes stant pleni per totum annum exceptis Paschalibus diebus. Ad quod respondet bene concedit.

Item ponit, quod Capellanus monasterii baptizat pueros, quos facit christianos apud Ecclesiam D. Petri in prædictis fontibus minoribus, & in majoribus, præterquam in sabbato sancto. Respondet, quod non concedit.

Item ponit, quod baptizat in minoribus fontibus illos pueros, quos facit Christianos apud S. Petrum in illis temporibus, quibus non fiunt solemnia baptismata. Ad quod respondet, quod non concedit.

Item ponit, quod Monaci, & Capellani illius monasterii inungunt infirmos oleo sancto in dicto suburbio. Ad quod respondet, quod non concedit, sed concedit, quod capellanus aliquis inunxerit, sed cum injuria majoris Ecclesiæ.

Item ponit de civitate, & idem dicit, & respondet.

Item ponit, quod monachi, & capellani illius monasterii tribuant corpus Christi infirmantibus in dicto suburbio, & civitate, qui illud petunt. Ad quod respondet, quod non concedit.

Item ponit, si alicui de ipso suburbio injungenda sit pœnitentia solemnis, quod per capellanum illius monasterii ducitur ille ad Dominum Episcopum, vel ad pœnitentiarium solemnem. Ad quod respondet, quod non concedit.

Item ponit, quod quidam Guido fuit quondam Episcopus Aquensis. Ad quod respondet, quod bene fuit Episcopus.

Item ponit, quod illud, quod ait syndicus monasterii, privilegium Dudonis fuit repertum in ipso monasterio a septimo anno infra.

Item ponit, quod a septimo anno supra, stetit dictum privilegium in ipso monasterio, quod non fuit lectum per annos quadraginta.

Item ponit, quod scriptura illa, de qua fit mentio in sententia Anselmi Episcopi per illa verba *decretum*, vel *concessio* fuit reperta in ipso monasterio a septimo anno infra, cui scripturæ tenor est ille, cui impressum est sigillum Domini Archiepiscopi. Ad quod respondet, se non credere.

Item ponit, quod dicta scriptura stetit in ipso monasterio ab octo annis supra, quod non fuit lecta per quadraginta annos in ipso monasterio. Ad quod respondet, se non concedere, quod fuerit in illo monasterio per quadraginta annos.

(1) *Corrige XII.* (2) In alio infrascripto anni 1229. sunt ibi per tantum tempus, cujus non extat memoria. (3) In eodem, est ita antiquum, ac civitas.

*Juramentum Aquensium erga Alexandrinos ex Apographo Archiv. Episc. collato cum alio exemplari penes quond. Franc. Turrium.*

M C C X X I V.

167

Anno Domini MCCXXIV., indictione XII., die Veneris XXVI. julii, in refectorio canonicæ Aquensis, in pleno consilio Aquensis civitatis tam majori, quam populari per campanam collecto, Ubertus de Burgo, & Nepos Morandi consules, & rectores dictæ civitatis, & eorum adfessor Arnaldus D. Benzoni vice, ac nomine dicti communis, dicto consilio confirmante, & nullo contradicente promiserunt super sancta Dei Evangelia jurantes Domino Provinciali Judici communi Alexandriæ, & D. Ruffino Guasco, & D. Bernardo de Marengo Ambaxiatoribus, & procuratoribus communis Alexandriæ nomine, & vice communis ejusdem stipulantibus salvare, defendere, & manutenere civitatem Alexandriæ cum omni honore, jurisdictione, & integritate, in qua nunc est contra omnes personas, & loca, salvo omni jure, quod ipsi Aquenses habent in Meladio, & salvo Domino Imperatore, & Episcopo Aquensi, & Dominis Marchionibus de Ponzono, & Cassinensibus, nisi prædictus Episcopus, & Marchiones, & Cassinenses, vel per se, vel per alium Alexandrinis guerram fecerint infra dies . . . post monitionem Aquensium nol.

M